Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

regem omnique studio in amicitiam eius pervenire. Quia
is potius consilia eius nota cunctis suis facie-
bat. Hi quidem Cartaginenses miserunt qui specie
legatorum longo tempore morarentur exciperentque con-
silia Romanorum. Marcus Cato in Hyspania
cum ad hostium consilia aliavia pervenire non po-
terat, iussit trecentos milites simul impetum
facere in stationem hostium, raptumque unum ex his
in castra perferre incolumem. Torturisque ille omnia suorum
confessus est.

Vegetius de re militari libro iii ti. xxvi. Difficile
vincitur qui vere potest de suis et adver-
sarii copiis iudicare. Cum explorator ho-
stium latenter oberret in castris, omnes ad
tentoria sua per diem redire iubeantur, et sta-
tim deprehenditur explorator.

De occultandis consiliis inimicorum contra hostes. ca. xvi.

Frontinus libro primo ti. primo. Portius Cato devic-
tas a se civitates Hyspanie existimabat in
tempore rebellaturas fiducia murorum. Scripsit
itaque singulis ut diruerent munimenta mi-
natus bellum nisi confestim obtemperassent. Episto-
lasque universis civitatibus eadem die reddi
iussit. Unaquaeque urbium sibi soli credidit
imperatum. Contumaciae conspiratio potuit fieri
si omnibus idem denuntiari notum fuisset.
Tarquinius superbus principes Gabinorum
interficiendos arbitratus, quia hoc nemini vole-
bat committere, nichil nuntio respondit, tantum
virga eminentia papaverum capita cum forte
in orto ambularet decussit. Nuntius sine re-
sponso reversus renuntiavit adolescenti Tar-
quinio quod agentem patrem vidisset. Ille intelle-
xit idem eminentibus esse faciendum. Mar-
cus Lucius Crassus percontanti quo tempore
moturus esset castra respondit: vereris
ne tubam non audias.

Vegetius de re militari libro iii ti. vi. Ca-
utele caput est, ut ad que vel quibus itineribus
sit profecturus exercitus ignoretur. Tu-
tissimum namque in expeditionibus creditur facien-
da nesciri. Securum iter agitur quod agendum
hostes minime suspicantur. Idem xxvi.
ti. et fi. Nulla consilia sunt meliora quam illa
que ignoraverit adversarius tuus antequam

nō

nō

facias. Cum consilium tuum cognoveris adversariis
proditum, dispositionem te mutare convenit. Quid fieri
debeat tractato cum multis, quod vero facturus
sis cum paucis vel potius ipse tecum. Quo genere
expugnaturus sis nesciant hostes, ne aliquibus
remediis resistere moliantur.

De modo quantitatis exercitus habendo. ca. xvii.

Frontinus libro ii ti. Lucullus adversus
multitudinem Mitridatis et Tigranis in Armeni-
am maiorem apud Tigranocerta, cum ipse non
amplius quam quindecim milia armatorum haberet,
hostis innumerabilem multitudinem, eoque ipso inhabi-
lem, usus hoc eius incommodo, nondum ordinatum
hostium agmen invasit, atque ita protinus dissipa-
vit, ut ipsi quidem reges abiectis insignibus
fugerent.

Vegetius de re militari libro primo ti. viii. In omni
conflictu non tam prodest multitudo quam virtus.
Idem libro iii ti. primo. Exercitus dicitur tam
legionum quam et auxiliorum, necnon et equitum
ad gerendum bellum multitudo collecta. Huius
modus queritur a magistris armorum. Nam cum
Xerxis et Darii et Mitridatis ceterorumque
regum qui innumerabiles armaverunt populos exempl-
aria relegimus, evidenter apparet nimium copio-
sos exercitus magis propria multitudine quam hosti-
um virtute depressos. Nam pluribus casibus sub-
iacet amplior multitudo, in itineribus pro mole
sua semper est tardior. In longiore autem termino
agmen etiam a paucis superveniens assolet pati.
In locis autem asperis vel fluminibus transcendis
propter impedimentorum moras sepe decipitur. Vete-
res qui remedia difficultatum experimentis didi-
cerant non tam numerosos quam eruditos armis
exercitus habere voluerunt. Itaque in levioribus
bellis unam legionem in istis auxiliis mille
peditum et duo milia equitum crediderunt posse
sufficere, quam manum pretores velut mi-
nores duces ad expeditionem seducentur
ducebat. Et si magne hostium copie consularis
potestas cum duobus milibus peditum, et quattuor
milibus equitum, tamquam comes maior mit-
tebatur exercitus, consules ambo. Et si
infinita multitudo ex gentibus ferocissimis rebe-
llasset, tunc nimia necessitate cogente duo
duces et duo mittebantur exercitus, consules